



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Capitvlvm II. Si te.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

In contrarium obijci solet: Renuntiatio fieri debet in manu Superioris: Papa autem Superiorem in terris non habet: Ergo renuntiare non potest. Sin autem dicatur, quod Deus eius renuntiationem acceptet, ea acceptatio incerta videtur, cum nullo signo cognoscatur. Respondetur: Regula illa, quod renuntiatio praelaturæ &c. in manu Superioris fieri debet, de ijs duntaxat traditur, qui Superiorem habent, non autem de Principe, seu Superiorem non habente. Sic etiam (ait hic Ioann. Monachus) regulam habemus, quod nullus in propria causa iudex esse potest. l. Qui iurisdictioni, i. o. ff. de iurisdictione omnium iudicum: Et tamen Princeps, seu qui Superiorem non habet, in propria causa iudicare potest, vti dixi lib. 3. Th. mor. tr. 6. c. 2. n. 11.

Porro si Pontifex abdicet se Pontificatu, necessariò dicere debemus, quod Deus abdicatorem acceptet, seu ab ipso Pontificiam potestatem tollat. Nam alioquin consequens esset, vt Ecclesia longo tempore à nullo pastore visibili gubernaretur, si vno se abdicante, alius in locum eius cum simili vniuersali potestate substitui non posset: id verò repugnat Christi promissionibus. Atque hæc ratio ostendit validam fore renuntiationem Papatùs, etiam si sine iusta causa fiat. Cum enim Ecclesia Pontificem cogere non possit ad retinendum Pontificatum, sed tantum monere, ac rogare; si is, posthabitis monitionibus, officium pastorale re ipsa, & voluntate deserat, non esset Ecclesiæ prouisum, nisi eo abdicante se, alius eligeretur. Grauisimè tamen peccabit Pontifex, si absque necessitatis causa Papatui renuntiet: cum inter ipsum & Ecclesiam vniuersalem ædificatum vinculum, à Deo ipsi impositum, existat. Videri potest Ioana. Andr. super hoc c.

CAPITVLVM II.

Sic te.

PARAPHRASIS.

Titius impetrauit à Pontifice gratiam, quam

vocant expectatiuam, id est, mandatum, vt in ecclesia v. g. Augustana prouideretur ipsi dignitas, vel præbenda, si vacaret, alioquin proximè vacatura. Hoc intellecto, Caius æmulus eius, qui tenuit beneficium possidebat, illud resignauit, vt Titius à pinguiore, quæ postea credebatur per mortem, vel alio modo vacatura excluderetur. Hoc casu respondet Pontifex, non obstante ista resignatione, perinde ac si ea facta non esset, Titium expectare posse, donec pinguius illud beneficium vacet; dummodò sufficientibus iudicijs ostendi queat, Caium in fraudem, aut odium Titij beneficium suum resignasse.

S V M M A R I V M.

Ostenditur æquitas responsionis Pontificia: quod scilicet non reneatur is, qui impetratà gratiâ expectatiuâ à Papa, expectat primum vocaturū beneficium pingue, tenue aliud accipere, si interea hoc in fraudem eius alius resignet, cum proximè credatur pinguius vacaturum.

Æquitas huius responsionis sumitur ex reg. 20. in 6. Non debet aliquis alterius odio prægrauari. Et l. i. ff. de dolo malo, dicitur, quod per dolum malum deceptos, actio de dolo, (si alia nulla competat) secundum Prætoriam æquitatem concedatur, ne vel dolosis malitia sua sit lucrosa, vel deceptis simplicitas damnosa.

§. Caterum.

Quod si Caius ille renuntians beneficio tenuiori, alterum pinguius postea vacans ipsemet obtinuerit, eo ipso præsumptio erit, in fraudem id egisse, vt alia probatione opus non sit. Poena autem ipsi itaruta sit, vt vtroque beneficio careat: priore quidem, quia ei renuntiauit: posteriore autem, tum quia alteri est debita; tum quia æquum non est, vt ipsi calliditas sua proffit, seu ex propria iniquitate commodum ferat. Ita Ioann. Monachus hæc.

Ooo; TITV